

Phæn. I.

aliam (Num. 3. depictam) ex ære parari fecit quatuor circiter pedes ac dimidium longam, aperturâ extimâ duodecim, ac orificio duorum digitorum, hac vice superaddens intra cavitatem orificii valvulam coriaceam (vid. Num. 2.) quæ antrosum sese adaperiens vocem facile transmittēbat, retrorsum autem statim occlusa non patiebatur immissæ vocis quidquam retroflecti, quod alioqui futurum judicaverat non sine sensibili vocis imminutione. Hujus secundæ Tubæ efficaciam Rex ipse cum Principe Roberto & Aulicis primariis compluribus experti sunt, ex intervallo 850. virgarum sive ulnarum Anglicarum, h. e. (cùm virga una æquetur 3. pedibus) 2550. pedum, distinctè percipientes verba singula loquentis per eam Morlandi, tametsi ventum haberet sibi tum contrarium.

Phæn. II.

IV. Successu verò tam felici excitatus Morlandus tertiam paravit è cupro tubam more vulgariam flexam (vid. Num. 4.) ac ultra pedes sedecim octo digitos longam, diametro 19. digitorum hiantem, orificii verò solitam aperturam 2. dig. servantem; ac deinceps etiam quartam similis inflexæ formæ, sed majorem, longam quippe circiter 21. pedes ac diametrum aperturæ maximæ habentem pedd. duorum, orificium autem digitorum duorum cum quadrante. Harum majorum tubarum (fecerat enim alias adhuc non inflexas ex eadem materia, unam 21. digg. in diametro aperturæ, alteram non nisi 10 $\frac{1}{2}$ . cùm utrarumque longitudo esset 5. pedd. 6. dig. orificium autem illius 2. digitorum, hujus non nisi 1. dig. & 2. linearum) virtutem & efficaciam jussu regio tentavit experimento tergemino *Franciscus Digbaus* Castelli Deal Præfectus & in literis suis ad *Arlingtonem* Secretarium Statûs d. 14. Octob. 1671. testatus est, prima vice è Castello Deal & alio *Waumer*, intervallo 1. circiter mill. Angl. (quod mill. Germ. quadrantem paulum superat) harum tubarum ope colloquentes mutuas voces percepisse distinctissimè, tametsi ventum è transverso adflantem,